

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Feria II. pentecostes

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

suam in terrâ quæsiuit, sed esto potius Abel, & omnia, quæ in terris sunt, vanitatem æstima, Eccles. 1. v. 2. Sapite, non quæ super terram, monet Apostolus, Col. 3. v. 2. Veri Christiani ingenio aquilino præditi sunt, ea nidum suum non in terris, sed in excelsis construit: ita nec ipsi terræ adherent, nec terrena diligunt, ut in temporalibus, velut sus in luto se volvant: sed nidum in cælo construunt, derelinquunt vitam peccatricem & terrenam, & vitam cœlestem agunt, dicentes: A te quid volui super terram? Deficiat sanè caro mea, & cor meum: petra cordis mei, & pars mea, Deus in æternum, Psal. 73. v. 25. 26.

Idem tuum desiderium esto! Quodsi temporalibus bonis præditus es, utere iis, tanquam si non utaris, possides, quasi non possideas, 1. Cor. 7. v. 30. Utere iisdem ad Dei gloriam, & proximi emolumentum. Dic cum cœlesti illâ animâ:

Cæli bona,
Perstant rata,
Præ priver his,
Vitæ, bonis

Vincam, juva Deus me.

III. Verbo prædicato attende. Christus

ait in Evangelio: Prædicare Evangelium omni creaturæ. Atqui prædicare & audire relata sunt. Omnes igitur creaturæ intelligentes, verbum audiant necesse est.

Quia igitur & tibi, tanquam creaturæ rationali Evangelium prædicatur: illud diligenter observa. Ne negliges conciones & cultum Dei, nisi necessitate fortè prohibearis: sed veni, ut audias, quid spiritus Ecclesiis dicat, Apoc. 2. v. 7. Custodi pedem tuum, ingrediens domum Dei, & appropinqua, ut audias; hoc enim melius est, quàm stultorum victimæ, Eccles. 5. v. 1. Per vocem enim Evangelii Christus & corporalem & spiritualementem adscensionem tuam operaturus est. In hac vita spiritualementem, ut mundo ejusque vanitatibus valedicas, & in eo solo voluptatem tuam quæras: Post hanc vitam verò corporalem, ut anima tua in horâ mortis, corpus verò die novissimo in vitam æternam avolet:

Der wer da glaubt / und wird getaufft /
Demselben ist der Himmel erkauft /
Dass er nicht werd verlohren.

Fiat id per Christum Jesum, Dominum nostrum, Amen.

FERIA II. PENTECOSTES.

Evangelium Joh. 3. v. 16. -- 21.

EXORDIUM.

Olim tres juvenes, corporis custodes Regis Darii, quodnam fortissimum esset, contenderunt? singuli scribentes verbum suum signaverunt, & posuerunt subtus cervical Darii Regis, ut si Rex surre-

xerit, ipse rem decideret, & palmam ei, qui rem acu tetigerit, attribueret. Unus scripsit, forte est vinum. Alius scripsit: Fortior est Rex. Tertius scripsit: fortiores sunt mulieres: super omnia autem vincit veritas.

Licet

Licetigitur, Rege expegefacto, juvenes illi orationes suas habuerint, & quilibet, rationibus, quo potuit optimis, confirmatum iverit opinionem suam: attamen veritas tandem palmam obtinuit, omnes populi namque clamarunt, & dixerunt: Magna est veritas & prævalet, 3. Esr. 3. v. 5. legq. & 4. v. 1. seqq.

Rectè sic statutam est. Veritas quippè premi potest, sed non opprimi.

Attamen si Christianismus, ut quartus, prioribus adjungeret se, & diceret: fortissimus est amor, non dubium est, quin ille triumphum ageret, ipse siquidem Spiritus sanctus, amorem fortissimum esse adseverat, inquit: fortis est, ut mors, dilectio; dura sicut infernus æmulation: lampades ejus, lampades ignis, & flamma Domini. Aquæ multæ non poterunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam &c. Cant. 8. v. 6.

Luculentum exemplum, quod dilectio Dei præsertim, fortissima sit, ex Evangelio nostro discere possumus, in quo, dilectionem Deum quasi ipsum, qui tamen fortissimus est, superasse, audimus, quod nobis Filium suum unigenitum, & dilectissimum, quem ex corde suo genuit, donaverit.

Etiamsi enim veritas & justitia Dei in summo quoque gradu fortia & immutabilia sint: Dilectio tamen Dei ejusmodi temperamentum reperit, ut per Filium, quem ex caritate nobis donavit, justitiæ & veritati ejus satisfactum sit. Quod enim in carne pro nobis passus, & in stipite crucis pro nobis mortuus est, hoc ipso veritatem & justitiam divinam conservavit, quæ mortem generi humano attribuerant: Ex amore verò ortum est, quod nobis Filius

Dei donatus est, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus.

De hac Dei dilectione erga nos, & totum mundum, prælectum Evangelium agit.

Nos pro Instituti ratione videbimus

I. Triplicem Querelam.

II. Triplicem Medelam.

III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegetis.

Vivo ego, dicit Dominus Deus: non delector morte, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat, Ezech. 33. v. 11.

Hic jurat veritas ipsa, ratione salutis nostræ, quod eam serio quærat & desideret. Plus adhuc facit in prælecta Pericope, ex qua percipimus, quod nobis unigenitum Filium suum dederit, ut per eum vitam æternam habeamus. Verum multi eum rejiciunt, cum tamen vera sit lux, illuminans omnem hominem venientem in mundum, Joh. 1. vers. 9. 11. ideo quoque in tenebris ambulant, nescientes quo vadant, Joh. 12. v. 35. postea sequitur judicium, ut, quia tenebras magis dilexerunt quàm lucem, cum rectoribus tenebrarum seculi hujus, Eph. 6. v. 12. mittantur in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium, Matth. 22. v. 13.

Idipsum Servator innuit in præsentis Pericope, quando de illis, qui non credunt in nomen unigeniti Filii Dei, dicit, quod jam tum judicati sint.

Querela respicit

I. Summum incredulitatis flagitium: de qua Christus: Qui non credit in nomine unigeniti Filii Dei, jam judicatus est.

m m m m

Quid

Quid hinc incredulitas sit & vocetur, Christus ipse declarat, nimirum non credere in nomen unigeniti Filii Dei. Ubi per nomen unigeniti Filii Dei intelligitur Christus, & ratione personæ, quod sit verus Deus à Patre ab æterno genitus, & verus homo ex Maria Virgine in tempore natus; & ratione triplicis officii, quod sit Propheta, Rex & Sacerdos noster, quinimò unus ille Mediator Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5. Quicunque igitur in hunc salutis fontem non credit, ille committit

1. *Peccatum Salvatorem rejiciens.* Hæc *aversionis* imprimis Judæis familiaris erat, cum Christus in diebus carnis inter illos conversaretur, non enim Christum receperunt, ubi in propria venit, Joh. 1. vers. 11. sed dixerunt: Nolumus, hunc regnare super nos, Luc. 19. vers. 4. qui ostenderet nobis bona, Psalm. 4. vers. 6. adeoque non sunt confisi super Sanctum Israel, & Dominum non requisierunt, Esa. 31. vers. 1. Sicut adhuc hodiè Judæi in hunc universalem mundi Salvatorem credere nolunt, ut rectè de illis illud Pauli dici possit: Eratis in illo tempore sine Christo, & sine Deo in hoc mundo, Ephes. 2. v. 12. siquidem tempore passionis expresse dicebant: Tolle, tolle eum, Joh. 19. vers. 15. & ita despexerunt & odio habuerunt Christum: Qui verò Christum odit, & Patrem ejus odit, Joh. 15. vers. 23.

Idem faciunt Papistæ, quando Christum ut unicum illum Advocatum adspernantur, & sanctos demortuos ut Mediatores & Intercessores implorant: Derelinquentes fontem aquæ vivæ, &

fodentes sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, Jer. 2. v. 13.

Verum Christus solus est Advocatus noster, 1. Joh. 2. v. 1. sedens ad dexteram Dei, & interpellans pro nobis, Rom. 8. v. 34. Abraham verò nescit nos, & Israel ignorat nos, Esa. 64. vers. 16. sed Dominus attendit & audit, quando invocamus eum, Mal. 3. v. 16. scit quoque, quibus indigeamus, Matth. 6. v. 32.

Optimè itaque facimus, pleni fiducia dicentes: Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram, Psal. 124. v. ult.

2. *Peccatum justificationem impediens.* Hæc enim fundatur in Christo, ejusque sanctissimo merito, quia justificamur per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, Rom. 3. v. 24. & Pater gratificavit nos sibi in Dilecto, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, Eph. 1. v. 6, 7. Unde & Scriptura testatur, quod nobis à Deo factus sit justitia, 1. Cor. 1. v. 30. hinc credenti in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam, Rom. 4. v. 5.

Ubi verò per opera justificari velis, ut Phariseus ille, Luc. 18. v. 11. & Scriba, Luc. 10. v. 29. ibi evacuaris à Christo, & excidis à gratia, Gal. 5. v. 4. sine Christo verò coram Deo non justificari, nec faciem ejus videre possumus, sicut nec fratres Josephi faciem ejus videre poterant, nisi adducto fratre natu minimo, Gen. 43. v. 3. verum in Christo habemus accessum & fiduciam in confidentia ad Patrem, Eph. 3. v. 12.

Hinc iterum à Pontificiis per operum merita justificari satagentibus impingitur. Verum ex operibus legis non justificabitur
omnis

omnis caro, Gal. 2. v. 16. Beati verò, quorum remissa sunt iniquitatis, & quorum tecta sunt peccata, Psal. 32. v. 1.

3. *Peccatum damnationem attrahens.* Hoc enim Christus perspicue indicat, dicens: Qui non credit, jam judicatus est: & iterum: Qui non crediderit, condemnabitur, Marc. 16. v. 16.

Quod si peccata actu damnationem inferrent, nemo hominū servaretur. Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei, Rom. 3. v. 23. Quando verò homines in peccatis perseverant, Christum propitiatorem abjiciunt, ejusque meritum quasi conculcant, Hebr. 10. v. 29. id damnationem efficit, ut Christus hic testatur.

Cain & David ambo magni peccatores erant, uterque gravem reatum incurrerat: ille fratrem Abelem, hic Uriam Hethæum Ammonitarum gladio peremerat, Gen. 4. v. 8. 2. Sam. 11. v. 16. Cain desperabat de misericordia Dei, inquiens: Major est iniquitas mea, quam ut remittatur, Gen. 4. v. 13. Propter hanc ἀπιστίαν utique damnatus est. Ex adverso verò David post lapsum erigit se gratiā & misericordiā divinā, dicens: Miserere mei Deus, secundum misericordiam tuam, Psal. 51. v. 3. & transtulit Dominus peccatum suum, ne moreretur, 2. Sam. 12. v. 13.

Idem exemplo Petri & Judæ patet. Videte, igitur fratres! ne fortè sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi à Deo vivo, Hebr. 3. v. 12.

Si quis verò peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, 1. Joh. 2. v. 1. 2. Nemo igitur causam habet desperandi cum Caino: Ubi enim abundavit delictum, superabundavit & gratia, Rom. 5. v. 20.

II. *Hominum incredulorum judicium*, de quo Servator: Qui non credit, jam judicatus est. Quod non intelligendum de extremo judicio, quod nondum factum, sed futurum est eo die, in quo judicaturus est orbem, in justitia per virum, per quem decreverat, Act. 17. v. 31. Nihilominus tamen increduli judicati sunt

1. *Per Dei judicium.* Deus Opt. Max. quasi supremus Judex & legislator ab æterno sedet, & dicitur cuique peccatori pœnam, quam pro merito est, adeoque jam in judicio Dei judicatus est.

2. *Per Scripturæ effatum.* In hac cuilibet sententia decisiva, ratione peccati commissi, lata est, siquidem è libris Prophetarum & Apostolorum omnes homines judicabuntur, teste Joanne Apoc. 20. v. 12. in his incredulis omnibus definitum est, quod pœnas daturi sint, interitum æternum à facie Domini, & à gloriâ virtutis ejus, 2. Thess. 1. v. 9.

3. *Per culpa reatum.* Sicut enim qui homicidium perpetravit, hoc ipso homicidii reatum contraxit, licet pœnam adhuc expectet: Ita etiam cum incredulitate res se habet, qui in illa perseverat, reatum damnationis hoc ipso incurrit.

4. *Per conscientie forum.* Si homo malum quid commisit, & quidem ex infidelitate, cogitationes inter se invicem accusant se, Rom. 2. v. 15. postea testis est conscientia & convincit peccatorem, quin & nunquam exequitur pœnam, sicut in ipsum Proditoris Judæ exemplum, primò scelus confitentis, Matth. 27. v. 4. deindè se suspendentis, i. e. clare testatur.

m m m m 2

5. Per

5. *Per fulminis Ecclesiastici jaculum*, quod impœnitentibus & incredulis, nisi pœnitentiam egerint, vi clavis ligantis, quam Christus Ecclesiæ tradidit, Joh. 20. v. 23. ex suggestu vel in confessione annuntiat, quo ipso efficaciter judicantur, & corpore & anima ligati Satanæ traduntur, sicut Paulus incestuosum hoc modo excommunicavit, & judicavit, 1. Corinth. 5. v. 5.

Hæc judicia omnia in hoc mundo super impios veniunt, quæ sanè omninò terribilia sunt. Sed terribilius longè iudicium exsequetur die novissimo, quando impij & increduli, iudici infernali, & multis myriadibus Diabolorum cruciandi tradentur, ubi commanducabunt linguas suas præ dolore, Apoc. 16. vers. 10. quia Jesum in ore suo non confessi sunt Dominum, nec corde suo crediderunt, quod Deus illum suscitavit ex mortuis, Rom. 10. v. 9.

Quilibet proinde incredulitatem fugiat: Qui enim incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum, Joh. 3. v. ult.

III. *Mundum malitiæ receptaculum.* Mundus omnis malitiæ seminarium est, homines enim diligunt tenebras, & quidem magis, quam lucem, ideoque opera eorum mala esse, Servator adferit.

In mundo est concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vitæ, 1. Joh. 2. v. 16. hoc ipso seducimur ad iniquitatem, & non raro corda innocentium, Rom. 16. vers. 19. Hinc Lu-

therus mundum stabulum pessimorum hominum appellat.

In mundo sunt sagæ & venefici, qui se ad nutum Diaboli componunt, ejusque mandata exsequuntur.

In mundo occurrunt hæretici & Sophistæ, per quos Diabolus zizania falsæ doctrinæ spargit, & homines corrumpit.

In mundo inveniuntur varia scandala, quibus in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi, Matth. 24. vers. 24.

Hæc innumera peccata & flagitia in mundo in filiis incredulitatis aluntur, & perpetrantur, ut rectè dixerit David: Circumquaque impij obambulant, cum exaltantur leves inter filios hominum, Psal. 12. v. 9.

Mundus quasi nova Babel est, in quâ variæ confusiones occurrunt, Genes. 11. vers. 9. hîc nobis vox cœlestis acclamat: Exite, de illa, populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiat, Apoc. 18. vers. 4. Salvate animas vestras, ut Angelus Lothum dixit, Genes. 19. vers. 17. & Paulus quoque monet nos, ut quæ retrò sunt obliviscentes; ad ea quæ priora sunt nos extendamus, ad scopum & ad bravium supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu, Philipp. 3. vers. 13, 14.



De Se-

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fuit
I. *Ex Dei collectione*. Sic enim Deus
dilexit mundum. Hæc dilectio est

1. *Cordialis*, quod indicat vocula *Sic*,
quæ respicit donum è dilectione promanans,
quod est Filius Dei, cum Christus inquit:
Sic Deus dilexit mundum, Quomodo dilexit?
Ut Filium suum unigenitum daret.
Verè hæc dilectio cordialis est, de quâ
totus mundus gloriari potest:

Cor flexit ad me patrium
Perquam profectò serium
Nec optimo pepercit.

Non verò tantum Deus Filium suum nobis
dedit, sed & in ignominiosam & acerbissimam
crucis mortem pro nobis tradidit, ubi quasi
vermis fuit, & non homo: opprobrium
hominum & abjectio plebis, & clamavit:
Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti,
Psal. 22. v. 1. 7. Quis hinc non exclamaret?
Diligit populos! Deut. 33. v. 3. Quid est
homo, quod memor es ejus, & filius hominis,
quoniam visitas eum? Psal. 8. v. 5. hinc
verè commota sunt viscera Dei, ut miserans
miseretur sit nostrum, Jerem. 31. v. 20.

2. *Universalis*. Id vox mundi innuit,
quando Christus ait: *Mundum* Deus dilexit.
Per mundum Reformati solos Electos
intelligi volunt, sed ad eò perperam, ut
vel ipse Crocius vi veritatis adactus
diversum confessus sit, inquit: *Christus hic
per mundum non intelligit Electos tantum,
prout jam à mundo separati sunt: sed totum
genus humanum universè sumtum, prout
natura in peccato jacet.* Extendit se igitur
hæc dilectio

super totum mundum, qui ex credentibus
& incredulis consistit.

3. *Realis*. Dedit *Filium suum unigenitum*.
Perpendite Vos mei! quid animi haberet
probus aliquis Pater, si filium suum, eumque
unigenitum, pro peregrino, & quidem
nefario malefico in mortem tradere
compellaretur, non credo quemquam eò
adactum iri. Hoc verò Deus ex summo amore
& infinitâ misericordia fecit, & quidem
cum adhuc peccatores & inimici essemus,
1. Joh. 4. v. 9. 10.

Hinc igitur efficax solatium capere potes,
mi Christiane! Quia Deus mundum dilexit,
non igitur est, quod dubites de dilectione
divinâ, sed cum Paulo potius dicere vales:
Si Deus proprio Filio suo non pepercit,
sed pro me tradidit illum: quomodo etiam
non cum illo donaret mihi omnia? Certus
sum, quia neque mors, neque vita, neque
Angeli &c. Rom. 8. v. 32, 38, 39.

II. *Ex mundi per Christum salvatione*,
sicut Christus in hoc ipsum in mundum
venisse, profitetur. Angelus quoque
Gabriel conceptionem ejus annuncians ait,
quod nomen ejus Jesus vocari debeat,
quoniam salvum facturus sit populum suum
à peccatis eorum, Matth. 1. v. 21.

In Concilio Hierosolymitano ait Petrus:
Per gratiam Domini Jesu Christi credimus
salvari, sicut & Patres V. Test. Act. 15. v. 11.
Ubi Christus fundamentum salutis tam
salvatorum in V. T. quàm salvandorum
in N. T. constituitur, qui est benedictum
illud mulieris Semen, quod contrivit
caput serpentis, Gen. 3. v. 15. quem &
multi Patriarchæ, Reges & Prophetæ,
quamvis non per speciem, sed per fidem
m m m 3 vide

viderunt, sicut id de Abrahamo Christus afferit, Joh. 8. v. 56.

Sic & in N. T. fundamentum ille manet. Non enim in alio aliquo salus, Act. 4. v. 12. Et fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Jesus Christus, 1. Cor. 3. v. 11.

Hoc fundamentum & petram salutis nostræ, Diabolus destructum it, quando animis tentatis tela sua ignita immitit, quod propter peccatorum multitudinem sibi ad iudicium infernale tradendi sint, quo ipso nihil nisi desperationem eorum efficere tentat. Veruntamen, licet Christus à Patre suo cælesti iudex vivorum & mortuorum constitutus sit: non tamen in tempore gratiæ dum hodiè dicitur, morti nos traditurus est: sed quia est resurrectio multorum in Israel, Luc. 2. v. 34. omnes laborantes & oneratos peccatores refecturus est, Matth. 11. v. 23. Potes itaque Satanæ tentanti respondere: Quis accusabit adversus me? Deus est qui justificat, Rom. 8. v. 33.

III. *Ex privilegii exemptionis à iudicio, fruitione.* Hinc Christus: Qui in Filium credit, non iudicatur.

Hoc ut intelligas, sciendum est, divinum iudicium esse, in quo juxta rigorem legis tota natura & vita hominis inquiritur, utrum in omnibus Dei mandatis ambulaverit sincerè & sine hypocrisis. Quia verò nemo justificaretur in conspectu ejus, si intrare nobiscum in iudicium vellet, Psalm. 143. v. 3. Filium suum, qui quæ non rapuit exsolvit, Psalm. 69. v. 5. in hoc iudicium citavit, eumque ut vadem pro nobis, qui solvendo non fuimus, ad solutionem adstrinxit, iudicium suum in eo exequendo, & hoc

ipso Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, Galat. 3. v. 13.

Quicumque igitur in Christum credunt, privilegio gaudent, quod in rigoroso hoc legis iudicio comparere non teneantur.

Deinde quoque Pater Filio potestatem dedit iudicium facere, Joh. 5. v. 27. hic verò pro tribunali legis thronum gratiæ constituit, Hebr. 4. v. 16. ad quem appellare possumus, quando lex nos citatura & damnatura est: siquidem ab hoc iudicio exempti & immunes sumus, ex hac ipsa ratione. quia Christus illi pro membris suis satisfecit. Ita nemo, qui in Filium Dei credit, iudicatur, quem Deus misit factum sub lege, ut nos, qui sub lege eramus, redimeret, ut adoptionem filiorum acciperemus, Gal. 4. v. 5.

Licet igitur in Christum credentes, dic novissimo in iudicium venturi sint, attamen non venient in iudicium condemnationis: sed ut absoluti in eo à damnatione, ad vitam æternam vocentur, & vocem Christi audiant: Venite benedicti Patris mei, hæreditariò accipite Regnum, quod paratum vobis est, ab exordio mundi, Matth. 25. v. 34.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *In Christum crede.* In prælecto Evangelio audimus, Deum Filium suum ideò mundo dedisse, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Ex quo hæc adhortatio fluit: *Nisi damnari vis, crede in Christum.*

Id ipsum

Idipsum præfiguratum nobis est, typo ænei serpentis, quem Moles jussu Dei in deserto erexit, quo Israelitæ à morsu serpentum ignitorum sanati sunt, Num. 21. v. 8. Ita, dicit Salvator, exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat: sed habeat vitam æternam.

Credamus igitur in Christum, ejusque beneficia, quæ peperit nobis, verâ fiducia applicemus, eumque ut Servatorem nostrum honoremus & prædicemus: nec minus fidem in eum adeo demonstramus, ut quilibet, nos discipulos ejus esse, cognoscat, Joh. 13. v. 35.

Sed caveamus, ne fides modò sit *verbalis*, quæ minimè salvat: Non enim omnes qui dicunt Domine, Domine, intrabunt in Regnum cælorum, Matth. 7. v. 21.

Videamus ne sit fides *mortua*. Ideò Paulus ait: Vosmet ipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate, 2. Cor. 13. v. 5. Ubi viva fides, ibi etiam spiritualis vita in Deo est, ut talis cum Paulo dicere possit: Vivo jam non ego, vivit verò Christus in me, Gal. 2. v. 20.

Fides *caritate cavens*, etiam nihil ad salutem confert, vera enim fides per caritatem efficax est, Gal. 5. v. 6.

Nec fides *solatio destituens* quicquam prodest, quæ in æstu tentationum non consistit. Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo: & ideò non protegentur ab eo, Sir. 2. v. 15.

Fides *sine operibus* & ipsa inutilis est: Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est; ita & fides sine operibus mortua est, ideoque Jacobus visibilem fidem requirit, dicens: Ostende mihi fidem tuam

ex operibus tuis, Jac. 2. v. 18. 26. Matth. 5. v. 26.

Tandem quoque vitam æternam consequi non potest *dubitans fides*, hæsitans enim nihil accipit à Domino, Jac. 1. v. 7. sed *firma & immota fiducia*, quæ fundamento & lapidi angulari Christo innititur, & certa est, quod Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris, Phil. 2. v. 11. Qui hoc credit, quod Jesus Filius Dei est, mundum vincit, 1. Joh. 5. v. 5.

II. *Opera tenebrarum fuge*. Id Christus innuit, quando opera tenebrarum mala vocat, quæ arguantur, nisi vitentur. Hoc ipso vero non modò id intelligit, quod verbo Dei revelato adversum est, idemque obscurat, quales sunt traditiones & hominum inventa, propriæ interpretationes & detorsiones, quibus scripta Prophetarum & Apostolorum magis obscurantur, quàm illustrantur: sed & opera infructuosa tenebrarum, Ephes. 5. v. 11. quæ Paulus exprimit, Rom. 13. v. 13. Galat. 5. v. 19. seqq.

Hæc & similia opera tenebrarum appellantur, quia instinctu Satanæ Principis tenebrarum, Eph. 6. v. 12. fiunt, & plerumque etiam in tenebris peraguntur, ideoque æternis tenebris puniuntur, Matth. 8. v. 12. c. 22. v. 13.

Quod si igitur tibi lux divinæ agnitionis lucere debet, surgas oportet è naturalibus tenebris, ut te Christus illuminet, Ephes. 5. v. 14. Esa. 60. v. 1. & fies lux in Domino, Ephes. 5. v. 8. Hæc ipsa de causa frequenter cum Ecclesiâ suspires:

Du heiliges Licht / edler Hort /
Läß uns leuchten des Lebens Wort /
Und

Und lehr uns Gott recht erkennen/
 Von Herzen Vatter Ihn nennen.
 O Herr/behüt für fremder Lehr/
 Daß wir nicht Meister suchen mehr/
 Desi Jesum mit rechten Glauben/
 Und ihm auß gangker Macht ver-
 trauen.

Quodsi in æterna vitâ videre desideras lumen æternum Jesum Christum, in ejusque visione oblectare te, hinc ab operibus tenebrarum desistas, & cogites, ut quod reliquum est in carne, non jam desideris hominum, sed voluntati Dei vivas. Sufficit enim &c. 1. Petr. 4. v. 2. 3.

Cum Sodomitæ justi Lothi ædes noctu expugnatum irent, percussit eos Deus cæcitate, à minimo usque ad maximum, ita ut ædes invenire non possent, Gen. 19. v. 11. Ita quoque Deus, justus ille judex operatores tenebrarum, æternis tenebris puniet, ita ut in æternum usque lumen non visuri sint, Psal. 49. v. 20.

Perpendant hoc omnes, qui in operibus tenebrarum delectantur, & dicunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob, Psal. 94. v. 7. Pars vestra erit cum Principe tenebrarum, Eph. 6. v. 12. In stagno, ardente sulphure & igne, quæ est mors secunda, Apoc. 21. v. 8.

Ambulate igitur, dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant. Et qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis, Joh. 13. v. 35. 36.

III. *Veritatem effice.* Propterea monet nos Servator: Qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo facta sunt.

Veritas h. l. nihil aliud est, ac integritas, sinceritas, ein rechtshaffenes Wesen/ uti B. Lutherus vertit, Ephes. 4. v. 21. estque ejusmodi virtus, quam Spiritus sanctus in nobis operatur, quando post regenerationem, quæ in baptismo fit, renovamur Spiritu mentis nostræ: & induimus novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis, propter quod deponentes mendacium, loquimur veritatem, unusquisque cum proximo suo, Eph. 4. v. 23. & seqq. Huic virtuti studeamus,

1. *Erga Deum.* Ne sis inobediens timori Domini, & ne accesseris ad illum duplici corde, Sir. 1. v. 36. seqq. Non corde sincere egit Saul, qui quidem exteriori pœnitentiam simulavit, dicens: Peccavi: sed hypocriticè, quâ de causa etiam à Deo abjectus est, 1. Sam. 15. v. 30. Melior mens fuit Ezechia, qui nuntio mortis accepto, oravit ad Dominum & dixit: Obsecro Domine, memento quæto, quomodo ambulaverim coram te, in veritate, & in corde perfecto &c. ideoque quindecim annos adjecit Deus vitæ ejus, Eisa. 38. v. 3. & seqq.

Sic & vos succingite lumbos vestros in veritate, Eph. 6. v. 14. Sir. 4. v. 33.

2. *Erga proximum.* In mundo rara avis est veritas, h. e. fides & integritas inter homines, ut non abs re, suo jam tempore, conquestus sit Jeremias: Omnis amicus proditoriè incedit; & vir fratrem suum decipit, Jer. 9. v. 5. quin & vir fratrem suum ad mortem venatur, Mich. 7. v. 2. ut Diogenes accensa lucerna in ipso meridie eam vix inventurus sit.

David

David talem quæstionem instituit: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo: Aut quis requiescet, in monte sancto tuo? Et respondet sibi ipsi: Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam: qui loquitur veritatem in corde suo, Psalm. 15. v. 1. 2. 3.

Quicumque igitur habitaturus est in monte sancto Dei, loquatur veritatem cum proximo suo, Ephes. 4. v. 25. valedicat omni simultati & hypocrisi, & Christus, qui est veritas ipsa, Joh. 14. v. 6. aperiet ei januam ad vitam, ubi cum Domino semper erit, I. Thess. 4. v. 17. Fiat ita, Amen.

IN FERIA III. PENTECOSTES.

Evangelium Joh. 10. v. 1. -- II.

EXORDIUM.

DE Protoplastis legimus, quod postquam neglecto Dei mandato, de arbore verita comederint, justissimus Deus Paradiso eiecit eosdem, collocaritque ab oriente horti Eden, Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ, Gen. 3. v. 24.

De hæc Paradisi per Cherubim factâ conclusionem, variæ sunt Interpretum opiniones, inter quas menti Scripturæ quam proximè accedere videntur, Athanasius, Chrysostomus & Hieronymus, aliique eruditi, qui per vocem Cherubim Angelos intellexerunt, & quod Deus viam Paradisi per peculiare Angelos custodierit, crediderunt.

Cherubim verò hic flammeo atq; versatili gladio armatus fuit. Ubi iterum Interpretes in diversas abeunt sententias. Lombardus gladio hoc igneam Angelorum custodiam denotari autumat. Munsterus gladium strictum, & flammæ instar coruscantem fuisse, sentit. Lutherus non ferrum & enslem propriè dictum, sed speciem

duntaxat, gladii instar, micantem & quasi fulgurantem, habuisse, probabiliter adferit: sicut in festo Pentecostes Apostolorum linguæ tanquam ignis dispersitæ fuerunt, sic & Angelos, ignem de se spirasse, qui in omnia loca se dissipaverit, ut nemini aditus ad Paradisum patuerit.

Quicquid sit, Protoplastos nostros Paradisi exules factos, eumq; ita conclusum, ut nullo modo redire in eum illis licuerit, in proptulo est.

Quemadmodum verò hortus Eden, sive Paradisus egregius typus & militantis & triumphantis Ecclesiæ est: Ita etiam custodia Paradisi & Protoplastorum exclusio, imago est ingentis miseræ, in quâ nos posterius Adami omnes naturâ versamur, dum propter inhærens peccatum, cum ex Ecclesiæ, tum ex cœli Paradiso, eiectioni, & postquam Deus igneam suam Zelum, quasi pessulum obdidit exclusi, exclusissimi, & ut Paulus loquitur, alienati à Repub. Israel, spem non habentes, & sine Deo sumus, Eph. 2. v. 12.

In hæc ineffabili miseria hæc temporali-
nnnn ter,